

**Disputatio medica veram pathologiam haemorrhagiarum narium sistens ...
/ respondens Christophorus Berghauer.**

Contributors

Berghauer, Christoph.
Alberti, Michael, 1682-1757.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Litteris Chr. Henckelii, [1704]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kc9tra2r>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30770233>

DISPUTATIO MEDICA
VERAM PATHO-
LOGIAM HÆMORRHA-
GIARUM NARIUM
 SISTENS

In Alma Regia & Electorali Fridericiana,
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

FRIDERICO WILHELMO,
 REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS
 BRANDENBURGENSIS

HÆREDE &c. &c.

GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICÆ
 CONSENSU

Publicæ ventilationi exponunt

PRÆSES

MICHAEL ALBERTI,
 MEDICINÆ DOCTOR.


&

RESPONDENS

CHRISTOPHORUS Bergauer |
 Gardelegiensis Palæo-Marchicus.

Ad diem Septembri A. O. R. MDCCIV.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
 Litteris Chr. Henckelii, Acad. Typogr.





* * *

PROOEMIUM.



Vantis suspiriis atq; gemitibus Medicæ scientiæ & peritiæ solidam ac fundamentalem demonstrationem deductionemque proximiorum temporum cordatores affectaverint Medici, non tam nudi Theoretici, quippe qui variis Chimæris opinionum colluctantes, non æque experientiæ indulgent; quam accuratiōres, variorum in praxi Medica obvenientium effectuum, etiam individualium, observatores, illud indies & querelis & diffidentia & confidētia, audimus propositum. Timidioris illi quidem & ingenii & judicij sunt, qui grandem hunc defectum in foro Medico probe agnoscētes, interim de solidiore restauratione penitus desperant, cum vel suis opinionibus nimium insidentes, æque atque insudantes vix tricas tales Theoreticas, cum effectibus, ipsis quidem, anomalis, complicari & connecti posse, credant, vel ipsi-

met huic labi vel annos vel invidiam timentes, aut nec possint, aut nec velint prospicere; ne tamen illi infidelium cœtui penitus annumerentur, credunt id, quod Ecclesia credit, & inter Sylvianos, Sylviani, Tachenianos, Tacheniani, sunt, existunt, manent; communis tamen illorum est querela: Longe aliter praxin, quam Medica sit Theoria, esse instruendam; meliorem interim utriusque σύσασιν & συζυγίαν Deo committentes, posteritati relinquunt. Audaciores è contra & attentiores illi sunt, qui cum ipsimet Medicas tales confusiones eradicare nolint, vel si quidpiam ad Medicinam hujus Medicinæ conferre possint, negotium quidem aggrediuntur, sed neque continuant, neque perficiunt; interim scientiæ & conscientiæ avidi satisfaciendi, vel Polychresta, vel Panacæas, vel arcana præoptant, & si tale quid in uno alterove scripto & loco multis promissionibus encomisque oneratum ornatumque invenerint, illud occœcati quasi ambabus arripiunt manibus, & in praxin suam reportant; ut plurimum vero de incertitudine evenitus lugentes illos conquerentesque perspicimus, quos deinceps de felioribus ævis & certioribus inventis consolari necesse est. Ne dicam jam de illis, qui in meliorandis hisce Medicinæ fatis & velint & possint quicquam contribuere, interim tamen antiquis suis principiis affixi, rem alienis quidem verbis, & mutatis historiolis propONENTES, antiquam nobis occinunt cantilenam. Absit vero a nobis quam longissimè illis injuriari qui hisce Medicinæ fatis cum prudentia & peritia mederi sciunt, quibus potius omnem laudem debemus & persolvimus. Fœnerant quidē in recentiori hodierna Medicina pleriq; armis

armis & hastis, aculeis & spiculis, quid quod quaternario numero elementorum, qui ipsi hostes, in corpus humum, ex hypothesi, frequentissime crudeliter s̄ævirē possint aut debeant, sed ego potius dixerim, nolint, aut non soleant. Neglecta hactenus fuit, uti in Physica, ita & in Medicina, solidior & accuratior consideratio Motuum; in hac quidem, quatenus in corpore animali & speciatim humano contingunt; & omnes circumstantiæ, pro passivis ac morbidis, adeoque quovis modo & methodo profligandis fuerunt explicatæ symptomatibus; quibus dein, licet bono atque utili fine tales sint suscepti motus, indignabunde quasi obicem ponere solitum erat; Sed quæ strages inde in Medicinam irrepserit, videat atq; perspiciat, qui Historiæ Medicæ gnarus est. Viguit hactenus mechanica consideratio & tractatio corporis animalis, & quid dicam animalis, cum τὸ animale jam longè altius quid præsupponat, & nudæ mixtioni humanæ maxime contrarietur, dum illud vitalitatem, hæc illius præcipitem abolitionem & proximam destructionem inferat, & veluti pro fundamento habeat; hinc nullus distinctus hactenus illius veteribus usitatæ distinctionis inter temperamentum vivi & Mixti, floruit conceptus; sed recentiorum plurima pars nudis materiis inhærens, mechanicas, machinarias, & imaginarias de corpore humano fovit considerationes; motuum vero invitationes, directiones, consensus, consuetudines, & aberrationes minime intellexit, nedum attendit, nisi se ex hac inculpatione, acrimonia, falsedine, fermentatione, effervescentia, nisu ætheris, obstructionibus, obfuscationibus & tumultibus Spirituum extricare allaboraverit. Et quî nam individuales motuum differentias, in diversis

ætatis, temperamenti, consuetudinis, conditionibus suscipiet explicandas, si non vel specie differentes Spiritus, vel materiae malignitatem, aut inæqualem ejus ad certos poros proportionem, vel specificas acrimoniae aut acidi possit inculcare qualitates. Infimulat aliqui in deducenda causali ratione gravioris cujusdam affectus, felioribus tamen effectibus finiti, salutare naturæ opus, & naturæ morbique pugnam, saepius digitis quasi monstrant. Sed quid quæso ipsis natura aliud? quam vel agilissimi illi Spiritus, vel incognitus quidam Archæus, vel alia materialis conditio, quippe quæ ordinata tali & ad varias occasiones sese juste & recte disponente agendi energia divinitus prædita esse asserant, nullo habito respectu, quod leve animæ figmentum hanc, per voluntatem Divinam ita confirmatam agendi energiam penitus inversere possit & soleat. Quæ omnia & singula accuratius inspiciendo & comparando cum insignem involvant discrepantiam, nullam haec tenus veræ Theoriæ & Praxeos extitisse connexionem, haud immerito dicimus; minime omnium tamen apodicticæ illorum subscribimus sententiæ, quasi nulla detur, aut expectanda sit, aut inventari possit solidior talis Theoria, ipsi praxi arctissime juncta; è quarum utrarumque justiore nexu atque vinculo vera, non conjecturalis, dici mereatur Medicina. Et cum ipsa veritas se se simplicitate commendet, simplicem quendam affectum simplicissimis rationibus præsenti Disputatione evolvere consultum duximus. Enucleabimus in pertractanda HÆMORRHAGIA NARIUM ipsius motus in reliquæ humanæ mixtionis conservacionem maximè tendentis & debitè directi utilitatem, quo ipso, opus hoc, inter plebejos magis, quam medicos cognitum,

gnitum , ut directam aliquam medicationem a natura pro salvando corpore , quatenus justam proportionem temporis , modi , loci , successus & ordinis servat , suscep- ptam , in praxi medica quam maxime commendabimus attendendum.

Adsistat nobis misericors Deus , ut hoc conamen ad optatum exitum pertingat , & qualemcunque usum in Medicinam reportet .

CAPUT I.

De

HÆMORRHAGIIS IN GE- N E R E.



Ti omnium effectuum , tam *moralium* quam *naturalium* verum fundamentum & prægnantes causas , illos invitantes , proximiores investigare necesse est , ita hoc nostrum negotium intimius inspicere , ut eo facilior conceptus & connexio formari possit , non indigna res erit . Utilissima enim , quid quod maxime necessaria res est , ut Medicus non tam *materialium* circumstantiarum , quam quod altius & dignius est , ipsorum *motuum* , materiæ vel *quantitatem* , vel *qualitatem* respicientium , vel ex intrinseci agentis *promptitudine* & *alacritate* , uti *assuetorum* , ita saepius *susceptorum* , accuratam cognitionem habeat , sibique quovis modo & industria acquirat ; ex qua fundamentali cognitione ipsi variorum effectuum & utilitas & necesitas manifestius apparebit , inque subsidiis Naturæ ferendis , sua arte quovis solidiore & veriore respectu succurrere poterit ; sicuti è contrario ex *nuda* materiarum consi-

consideratione ipsi sterilissimi, neque Theoriæ, neque Praxi satisfacientes suborientur conceptus. Quam necessaria enim sit consideratio *excretionum* secundum *ætates* variantium, & secundum *temperamenta* vel leniorum vel graviorum, dijudicet harum rerum judiciosus & attentus observator; quippe quæ ipsi ex instanti optimum suppeditabunt consilium, vel alias tales excretiones *promovendi* vel *moderandi*, vel ipsum agens in tali *intensiore* intentione quovis modo *temperandi* potius, & aliis *artificialiter* subjunctis evacuationibus *placidius* reddendi, quam illi *nuda* cohibitione resistendi & oppugnandi. Ne vero extra limites generalioris nostræ tractationis in specialiorem antequam necesse est devolvamus, ipsum potius fundamentum hæmorrhagiarum fuscitandarum evolvere necesse ducimus; Ubi monendum insimul est, quod nobis in tali pertractione minime sermo sit, de pure *passivo* sanguinis effluxu & lapsu, qui à partis magis continentis vitiō defectivo dependet, sed de illis hæmorrhagiis quæ *sponte* veluti *intra eructantes* & *erumpentes*, expressionem & expulsionem potius *activam* exhibent. Neque animus noster est, de illis narium hæmorrhagiis h̄ic agere, quæ criticis evacuationibus obsignantur, quas alia occasione pertractandas in nos suscipiemus.

Firmum est illud, quod *nullæ* actiones in œconomia animali, humana, *tumultuarie* obveniant, sed omnes ac singulas, ad certum finem obtinendum, nempe in *conservationem mixtionis humanae* directas atque ordinatas esse; licet loci, modi, successus & exitus proportio non semper servetur; omnes tamen hæ circumstantiæ *inventionem* magis, quam *intentionem erroneam* reddunt; Ita etiam nec

nec hæmorrhagias aliter quam *directe* evenire , bonæ consequentiæ est.

Dari *Pletboram* & humores in quantitate *abundantiore* in corpore coacervari, ita ut proportionem *viarum*, & *usus* ad quotidianam vitæ conservandæ necessitatem , excedant , res ratione & experientia facilioris demonstrationis est; licet sint, qui rhethorisationibus magis, quam solidis rationibus, veræ, non fictitiæ experientiæ innitentibus , hanc abundantiam sanguinis infringere connituntur ; quo ipso sanguinem, ut thesaurum vitæ, in quantitate *abundare*, & aliis incommodis proximam occasionem præbere posse & solere, audacter renuant ; vel naturam nihil, adeoque neque *sanguinem* frustra facere indignabundi pervicaciter asserrant; vel, quod in optimum non cadat *nimum*, hîc etiam canonis loco constanter allegent. Omnia vero talia ipsa accuratior observatio & experientia abunde refutare solet; nec est, quod huic rei diutius immoremur; subscribimus potius solidæ illi deductioni quæ à *Viro Excell.* *Celeberrimoque D. D. Stablio Patrono nostro summe devenerando in Dissert. de Mechanismo Motus progr. sanguinis Th. XXIII. de Morb. et at. fundament. Cap. IV. p. 15. de V. Snis patrocin. Cap. II. p. 15. allegata reperientur. Unicum saltem illud ex programmate de *Consulta utilitate hæmorrhagiæ* citare lubet, ex quo ab experientia ad Theoriam scite transcendendo, bonam conclusionem formare possumus, in hoc vel illo subiecto extitisse *Pletboram*. Obveniunt solenniter in praxi medica in subiectis de cætero vividis & floridis, variæ exæstuationes, commotiones, motuum alterationes, congestiones sanguinis ad certa loca, decubitus humorum, & uti veteribus per-*

placuit eloqui , raptus humorum ad certas regiones; quid si ibi Medicus secum reputet , *bosce motus conamina* & molimina esse *ad sanguinis expressionem* tendentia; impeditius vero succedente tali evacuatione, concludat ex tali saniore indicatione, naturæ succurrendum esse alia artificiali conveniente evacuatione; qua *methodice*, non indifferenter subjuncta, spondeo certum, bonumque exitum, & ipsam mitigationem ejusmodi motuum, *multiplici experientia comprobatum*: è contra si solenniores quasdam solitas evacuationes tales *sponte vel artificialiter susceptas*, vel *cohibemus*, vel *negligimus*, inde denuo talia mala, & molimina ingruere solennius & certius, quam expedit, videmus; quid tum aliter sentendum, quam *illam* portionem sanguinis, alias *excerni* solitam, nunc in tali retentione *abundare*, propter quam exundandam, denuo tales conatus *expressorii* suscipiuntur.

Posset quidem talium effectuum se invicem presso veluti pede insequentium, alia suppeditari Theoria, quasi in floridiori aut turgido statu, vel Spiritus, vel acrimonia ita coacerventur; illi quidem, inordinate ita rebellent; hæc vero tam vehementer stimulet; & in poros involet, quæ dein tali ventilatione quam maxime consopiantur & depleantur. Sed ingenue confiteor insignem meam ulteriorum connexionum ignorantiam; *Qui enim fit*, quod Spiritus tales, licet insigniter *tumultuantur*, semper *directè* & *ordinatè* tumultuantur? cum mihi τὸ tumultuari & ordinatè agere semper plus, quam manifestam involvant contrarietatem. *Qui fit*, quod hi ipsi Spiritus *peracta* quadam temporis *periodo*, ad *pristinum*, & non ad *alium*, in hac *ætate* locum, *ordinarie* descendant, & tales tumultus suscitent? *Qui fit*, quod hi

hi Spiritus vel acrimonia, licet quocunque modo utraque mitigata & ventilata sint, contingente *fictitia* quadam *animi* præfiguratione aut *pathemate*, denuo novos tales tumultus suscitent? cum *Innullam connexionem* haec tenus inter Spiritus & acrimoniam, & protervum tale *figmentum*, invenire mihi licuerit. Sunt hæc difficultates quædam, quæ hanc ipsam explicationem non superficiariè stringunt, sed quam maxime illustrationem solidiorem postulant. Mea interim de hoc negotio constans hæc est sententia, & conclusio, quod, cum in Oeconomia animali conveniens *proportio materie movendæ*, vel *ad justam energię moventis mensuram*, vel *ad æqualem viarum capacitatem*, & *justum tempus progressuum*, esse debat, si qualiscunque *barum conditionum* occurrat *gravatio*, facillime vel motus vel humores in sua æquilitate & debita crassi subverti possint, & soleant; hinc ipsi *naturæ interest*, *suo corpori* in imminentibus ejusmodi alterationibus, quovis modo & methodo *prospiciendi*, quod cum in abundantia tali sanguinis nullo commodiore motu & modo, quam *sincera* in vicinis locis immediate suscipienda *evacuatione* peragere potest; (siquidem altera methodus, copiam quantam sanguinis mediate, per diuturniorem atque fortiorem motum & circuitum resolvere, & in resoluto tali statu dein excerne-re, quam plurimis per indirectum est stipata periculis;) hinc *utilem* hanc & in conservationem corporis, quam maxime tendentem *excretionem rationabiliter* suscepit & instituit. Quæ in genere de *Hæmorrhagiis* dixisse sufficien-t.

HISTORIA HÆMORRHA- GIARUM NARIUM.

USitatisimum est dicterium, quod *multa dicantur, quæ non fiant, & multa fiant, quæ non dicantur*; quod etiam ut verissimum & quotidie comprobatum h̄ic etiam merito allegamus: equidem non crediderim illud frequentius confirmari, quam in Medicina; quod illis quidem, qui absolutissimas in nostro foro detectas esse veritates, sancta simplicique fide apprehendunt, nimis scandalose & ignominiose dictum esse videbitur. Equidem firmissimus huic insisto sententiæ, & plura, quam in Medicinæ gloriam & splendorem cedunt, possum producere testimonia. Unde enim nobis tot abstrusæ & profundæ Pathologiæ? unde tot recentissimi affectus? nisi ex cujuscunque cerebro, prodeunt & oriuntur! *Quod capita tot sensus, & singuli fere aliam rationem formant, necessario vero paucissimi rectam, cum veritas non sit, nisi una; sunt verba Celeberr. Exc. D. D. Stablii in Diff. de Vene Snis Uſu in Febr. acutis pag. 4.* Deperdita & deploranda res est Theorias & æthiologias formare, ante sufficienter cognitam Historiam, & facti veritatem, ubi fundamentales circumstantiæ, quam maxime ad connectendum necessariæ, levi dignantur superilio & illorum loco, aliæ, ex aura deductæ, suæ accommodantur Theoriæ. Quænam inde est speranda veritas? allegamus hic merito *cit. disp. subsequ. verba: Cum enim experimenta chymica, anatomica, Mechanica absolute atque crude, ad corpus animale transferuntur, non modo negle-*

neglecto, sed ne quidem assiduis monitis in mentem reducendo respectu, qui inter corpus Mechanicum absolute, & corpus vivum intercedit. Nata hinc est & obfirmata tanta solidæ experientiae inopia, ut non solum historia atque casus, dum temere fingantur, qui præconceptis illis opinionibus respondeant: sed eo ipso etiam antiqua veritas circa historiam morborum, nudæ magis experientiae innixa, contemnatur, quoniam utique hypothesisibus ejusmodi suppositiis minime omnium quadrat. Hinc rectius fecissent, si vera vidissent & dixissent, non vero fixissent; cognita enim rei historia, longe facilius in causas licebit inquirere, quam contra. Hinc clinica praxis nos longe alia & veriora docet, quam tot plaufra scriptorum. Quos enim homines in nostro negotio frequentius habemus contradicentes, quam ipsas fœminas, quæ nulla Philosophia & Metaphysica instructæ, effectus in sua simplicitate apprehendunt, & recensent, neque illi quod fieri possit, sed quod fieri soleat, animum applicant. Hinc ante omnia veras circumstantias propositi nostri affectus allegabimus, vt eo certior & facilior subjungi possit æthiologia.

Illi, qui facilius hemorrhagias narium experiuntur, leniora & mitiora persentisunt symptomata, & vice versa. Exserunt sese in illis cum sensu quodam gravativo, pressorio, enitente circa radicem narium, siccitate etiam reliquarum partium caput constituentium, obtuso quodam sensu ponderis cujusdam intimius hærentis, intercurrente quadam vertigine, lassitudine vicinarum partium, subtile tensione & distensione, tam extrinsecus, quam intra nares contingente; & hæc omnia in inoderata tolerabilitate: turget quadanterus caput, genæ rubent, imo sentitur molestus quidam æstus, non tamen exquisitus;

minus alacre ad actiones obeundas tale est subjectum, *torpet*, imo tædet à laboribus; omnium maxime vero obtusum quendam sensum ponderis in capite sentit, als wenn ihm der Kopff schwehr würde. Solet autem talis hæmorrhagia narium aliis adhuc mitius, fine ullo sensu qualiscunque doloris evenire, quo magis huic, tale subjectum assuetum esse apparet.

Quibus vero impeditius, vel ex *individuali* indole vel ex *motuum* anomalia, vel ex *humorum & viarum* *inequali proportione*, tales obtingunt hæmorrhagiæ, illi graviora & penetrantiora experiuntur symptomata. Persentisunt ejusmodi homines dolores *valde tendentes*, & interiora capitis *distendentes*, insignes *constrictiones*, tensionem *gravativam*, quam *gravitatem* circa frontem, intus in fronte, circa radicem narium sese exserentem, appellant; caput *turget*, partes & vasa caput cingentia insigniter inflantur, & exturgescentia apparent, facie sunt *rubicundi & astuantes*, oculi *turgescunt*, inflantur, dolent, *sanguine infarcti* penitus conspiçuntur, & ad luminis radios recipiendos *sensibilissimi* sunt: afficiuntur præterea vehementi ardore & astu in capite, persentisunt *micationes*, *lancinationes*, *pulsationes*, cum *pulsu arteriarum* coincidentes, quippe qui sensus sese maxime fistit, quando ex declivi in altum sese erigunt: omnium maxime de vehementi distensione conqueruntur, als wenn ihnen der Kopff zerspringen wolte. Solet nonnunquam cum hisce circumstantiis concurrere, *alvi* *obstipatio*, partium inferiorum *constrictio*, scapularum *contractio*, *frigus* qualecunque, corpus inferius occupans, *manationes* oculorum, *ariditas* colli & faucium, *dejectio appetitus*, insignis corporis *lassitudo*, *spastiça* quædam muscularum col-

li tensio & contractio, aurium tinnitus, sensus sensibilioris titillationis intra nares, quæ omnia usque ad plenariam sinceri sanguinis expressionem diversimode in diversis sese exerunt & continuant subjectis.

Sunt itaque hæc communia signa hæmorrhagiam talem maxime stipantia & concomitantia, quæ, facta sufficienti, æquali & moderata floridi sanguinis evacuatione, omnia & singula mitescunt, imo penitus fatiscunt; hinc frequenter ex ipsa experientia plebs eloqui solet: *Wann sie nur bluten könnten/ der Kopff würde ihnen leichter/ und der Schmerzen lüßte sich.* Quo magis vero *conamina* talia expressoria repelluntur & cibentur, eò fortiora, graviora & periculosiora alia invitantur mala, & communiter repressas tales hæmorrhagias, earundemque conatus, vel *hecticam*, vel in junioribus *ptysisin*, vel *acutos* motus inflammatorios, *Pleuritiden*, *Peripneumoniam*, *Anginam*, *asthmata sicca*, *suffocatios catarrhos*, *cordis palpitationem*, vel in incongruis locis subjunctive susceptam aliam expressionem per *haemoptysin*, *Vomitum cruentum*, vel si sensibilia sint subjecta & per adstringentia tractata, *consensualem* Mensium aliarumque evacuationum, retentionem & restrictionem subsequi & communiter recensita pathemata invalescere plus quam expedit, perspicimus.

Solent autem talem hæmorrhagiam eo faciliorem & mitiorem experiri, quo *spongiosioris* & *porosioris* sunt habitus homines, impeditorem vero quo magis de *constrictiore* & *densiore* participant, vel in quibus illæ propter alias haec tenus subjunctas evacuationes, vel per lochia aut hæmorrhoides &c. per aliquod temporis spatium substitere, hisce vero intermissis denuo per *consuetudinem*.

dinem moliuntur, & propter viarum nunc constrictiorum inæqualem ad humores proportionem, ad exitum non perveniunt, sed eluctantur potius, minus vero erubet; sicut si utrisque, qualicunque artificio repressæ fuerint narium hæmorrhagiæ, tam propter copiosiorem sangvinis intra partes receptionem, & fortiorem atque promptiorem ipsarum partium constrictionem quam propter pertinacem & vehementem agendi energiam insigniter astuantia, acuta, inflammatoria evenire solent mala.

Solennis est hæc hæmorrhagia *puerili* communiter ætati, ab anno 8, usque ad annum 18 fere continuanti; constitutionem *Sanguineam*, aut cum *Sanguinea* prædominante aliam mixtam præ se ferenti; sicuti adultioris ætatis hominibus per *consuetudinem* magis evenire solet.

Individualis magis indolis signa succedentium hæmorrhagiarum sunt, quæ post qualemcumque *spirituosa* potulenti ingurgitationem, vel post insignem corporis *commotionem* & exæstuationem sese cum diffusissimo *rubore*, *purpureum* quasi colorem repræsentante, totamque faciem occupante, sistere solent. Sicuti in aliis subiectis talis diffusio in illo tantum loco & latere contingit, in quo subsequens eruptio sangvinis fieri solet, & speciem cuiusdam *suffusionis* gerit; qualem lationem diffusionem nulla alia molesta concomitantur symptomata; cessat vero & ipsa post peractam expressionem portio-
nis cuiusdam sangvinis.

Quæ qualemcumq; præ sese fert *consuetudinem* narium hæmorrhagia, illa vel crebrius vel copiosius, vel levisfimis etiam occasionibus obediens contingere solet, cuius omnium maxime in Medicina prudens & accurata habenda est ratio.

CAPUT III.

HÆMORRHAGIÆ NARIUM, TUM BENE TUM MALE SUCCEDEN- TIS ÆTILOGIA.

Uti non tantum veras *circumstantias* in Medicina nosse sufficit, sed quam maxime Medico ad verarum *causarum* indagationem via panditur, ut cognitis hisce causis, huic vel illi affectui cum *sana ratione* occurrere possit, ne magis *empirice* rem suam gerat, sed uti prudentem & peritum Medicum decet, agat; ita nobis etiam præsentis hujus affectus causalem deductionem in *concreto* magis realem, quam verbalem logicam designationem proferre lubet.

Provocamus hic iterum merito ad superius allegata, & repetimus quod Natura bona intentione, *propter* qualemcumque sanguinis *abundantiam*, talem, de qua nobis sermo est, hæmorrhagiam suscipiat & molliatur, & *ex parte* etiam bona inventione si *moderate* & *proportionate* easdem perpetret, agat, neque sibi, cum talem *finem* intendat, de molestis quidusdam accidentibus metuat, sed primariam suam in corporis salubritatem quam maxime cedentem intentionem exequatur, & talia *media* ad finem illum obtainendum assumat, quibus commode hoc negotium absolvere valeat.

Et cum ipsa natura in hac maxime ætate confirmationi & conformatio*n*i plenariæ, illius præcipue organi, per quod, & in quo actus *rationis* & *judicii* exercere necesse habeat, summopere indulgeat, adeoque majorem sanguinis copiam in hunc finem illuc deferre soleat; siqui-

dem pariter solennem illam loquendi formulam ex illis,
 qui intensius & diutius *rationis* usu detenti sunt, audimus,
 ich studierte/ daß mir der Kopff warm worden (quod
 ipsum consectorium illius copiosioris appulsionis existit,
 neque necesse est convocationem spirituum in intimiorem
 cerebri regionem arcessere,) quid quod simplicissima
 veritate tam ratione quam experientia comproba-
 tum est, quod ipsa natura de *sufficiente* floridioris sanguini-
 nis (tanquam illius *medii*, quo cum actus *vitalis*, motus
 nimirum *progressivus*, heterogeneitatum *secretio* & *excre-
 tio*, corporis nutritio, partium vitalium *conservatio* absolu-
 vi debet,) quantitate gaudeat; è contra vero de *insigni*
 sanguinis jactura tota *attonita* & *perterrefacta* se ad tem-
 poris spatium abscondeat & removeat, & à *manifestiori-
 bus* actibus in tantum cesset, donec sensim sensimque ad
 se rediens, denuo illud, cuius jacturam perpesta est, re-
 paret generetque; quod, ipsa *syncope*, nimiæ emissioni
 sanguinis per *Venem* superveniente, facile demonstrari
 poterit: nec est quod hic *balsamici* illius & nobilioris san-
 guini immixti principii sive *spirituum* jacturam accuse-
 mus, cum manifeste videamus, quod talia subiecta *brevi*
post rursus ad se redeant, licet nondum *haec* *quantitas* illius
balsamici sit restituta, sed necessario ex hypothesi illorum
tam diu *haec* *syncope* durare debeat, *quamdiu* hoc *balsa-
 micum* *nondum* est reparatum, quod tamen non fit; è
 contra à *posteriori* etiam videmus, quod *haec* *cessatio* ab
 actibus crassioribus, non cadat in *materiam*, sed in ipsum
agens, dum levioribus excitantibus, ipsa aqua frigida,
 illud ita *excitetur*, & ad actiones suas admoneatur reite-
 randas continuandasque. Hoc etiam certum, verum
 & sensibus manifestum est, quod *anima rationalis*, quam
 nos

nos pariter, dum *vitales* actus administrat, pro *natura* agnoscimus, in intensioribus laboribus, ad *roborandam* hanc partem, cum qua hanc operationem exserere debat, *majorem* floridioris sanguinis copiam intra eandem diffundere soleat, conspicuo exemplo *iracundiae*, ubi plebejam formulam loquendi proferre lubet: *Er sehe aus wie ein Zinshahn/ oder man soll einem den Kopf nicht warm machen;* ubi reliqua simul corporis membra, præcipue artus *tremunt & intumescunt.* Sicut inquam natura in tali maxime ætate copiosius sanguinem ad & in caput ex una parte apprimere soleat; ex altera vero, dum in junioribus semper caput in proportione ad reliquum corpus *amplius & capacius* existit, hanc majorem capacitatem convenientibus humoribus, *majori* appulsione explere necesse habeat; ita dum generaliter natura *majorem & copiosiorem* congestionem sanguinis versus caput exserit, quando talem depletionem *abundantis* sanguinis instituere consultum ipsi visum est, in illo maxime loco *hac etate* eandem suscipit, ubi illam partim facilioribus emotionibus, partim etiam citra alia imminentia pericula, quæ vel sanguini exprimendo, vel viis & locis per quas & in quibus talis expressio molitur & exsequitur, securius & commodius absolvere potest.

Plures causæ hæmorrhagiarum narium in hac præcipue ætate suscipiendarum, magis occasioneles, evolvi possunt in *Disp. Celeberr. D.D. Stablii de Morb. etat. fundam.*
Cap. V. p. 22. & 23.

Dum vero hanc sanguinis evacuationem *ex parte* etiam bona inventione suscipi asserimus, meritò contemnur nobis opponi atque obtrudi posse, quasi hæmorrhagiam pro actu necessario *vitali & secundum naturam*

fiente, agnoscamus, dum quam maxime firmum sit, quod
talis evacuatio minime corpori *sano* & naturaliter sibi
constantι fit peculiaris, sed quod tunc demum ex nostra
hypothesi remedium fit ad *præternaturaliter abundantem*
sanguinem imminuendum ; quo respectu etiam actus
præternaturalis potius dici mereatur ; lubet tamen nostri
asserti congruam suppeditare explicationem , ut alios
etiam in nostra hypothesi obtineamus consentientes.
Non habemus quod illis contradicamus, eo sensu , dum
corpus humanum ut *strictè* & *absolute* sanum supponunt,
hæmorrhagias pro re *præternaturali* agnoscere ; interim
dum status hic *abundantis* sanguinis in corpus illatus sit,
alia dein valet quæstio , quid secundum , aut *præter* natu-
ram fiat ? dum enim corpus *abundantiam* sanguinis mo-
lestant & in proxima potentia ad *nocendum* aptam susce-
pit ; plethorici vero ad voluntarios laboriosiores motus
in *consumptionem* *abundantis* portionis facientes, nimium,
quam segnes sint, & cito defatigentur ; febriles etiam spon-
tanei motus multis incommodis sint stipati ; hinc hisce
inter se comparatis, evacuationes tales sinceræ abundan-
tis sanguinis in tali statu, in conservationem reliqui ten-
dentes, minime *absolute* ut *præternaturales* habendæ, sed
ut *res non naturalis*, quæ non ad *essentiam*, sed diurnio-
rem hominis *existentiam* facit, erunt dijudicandæ. Ex qua
utili consideratione , peculiaris sanæ rationi, quam maxi-
me conveniens usus practicus in Medicum redundat,
cujus in Therapia hæmorrhagiarum narium pertractan-
da mentionem faciemus. Interea, quod etiam *tali modo*
consideratæ hæmorrhagiæ in capite bona inventione su-
scipientur , nemo erit, qui negabit , ipsas nares conveni-
entissimum locum ad excretionem talem administran-
dam

dam constituere, cum & aures & oculi propter sensibilitatem sensorii multis imo maximis subjicerentur periculis, nec aliæ etiam partes propter difficultatem exitus commodæ sunt, si per illas expressio talis debeat institui.

Præsupponit vero talis evacuatio per nares *copiosiorem* sanguinis appulsionem & *congestionem* ad talia & vicina loca per quæ & ex quibus expressio tentanda & perficienda est. Facit etiam hoc, ipsa prudens Natura, & reæte hic operationem hanc *secundum rationem* instituit; compellit enim hoc tempore & congerit hac vice, dum hæmorrhagiam talem intendit fuscipiendam, *majorem* sanguinis copiam intra caput ad nares, quod sensus manifeste *pulsatilis* abunde demonstrat; inflantur præterea vasa circa caput, ipsis *minimis* vasculis in tunica oculorum disseminatis, extra hanc congestionem *minime*, nunc vero *accuratissime* conspicuis, testantibus; imo *intumescunt* penitus ipsi oculi, ut ex cavitate sua quasi prominentes appareant; diffunditur ipse sanguis copiosius ita appulsus *remotive* magis ad expressionem deductus intra porosam substantiam faciei, & inde ille rubor & æstus; quia vero ipse æstus & calor tam à *progressivo*, quam *intestino* per illum aucto dependeat motu, hinc etiam fiente tali majore sanguinis progressu in ejusmodi locis, frons insigniter æstuat; & cum ipsa simul *tonica* congestio sanguinis refluxum ad primum fontem remoretur, sed diutius sanguinem intra vasa revehentia *detinet*; hinc subsequente per pulsum *majori* copia in talia vasa, illa ipsa inde insigniter distenduntur, unde sensus *tensus, pressorius, enitens, & ex inæquali fluxu sanguinis* in ipso cerebro, inæqualis etiam externus positus, (quod formale vertiginis est) originem habet. Et cum ipsa na-

tura hanc operationem *majori gradu & energia* motus exequi debeat, non nihil ab externis tonicis motibus cessat, & hinc *lassitudo & virium dejectio* pendet; quo magis etiam & *intensius* huic actui indulget, eo magis etiam ab aliis cesset, hinc animi torpiditas & tedium ab aliis actionibus imo ipsius *appetitus dejectio*. Inde etiam ex majore *pondere* sanguinis in capite existente, ille sensus ponderis & gravitatis deduci debet & potest. Quo *pertinacius & intensius* ipsa natura per hæc loca talem evacuationem quærit, eo pertinacius etiam reliqua excretoria *occludit*, hinc *alvi obstipatio, & ariditas & siccitas* aliarum partium invalescit. Quo superficialior vero infarctus humorum est, eo etiam facilior *secessio* tenuioris humoris à crassiore & subsequens per succedentem infarctum & proressionem expressio contingit, hinc *oculorum manationes* ortum ducunt. Quo magis præterea tenerrimi illius visus & auditus sensorii tunicae & structura infarctu tali humorum expanduntur, & extenduntur, eo sensibilior deinde est alteratio *domestici motus*, quem natura in nervis servat (quippe quæ perceptio formalitas *sensationis* est) hinc ejusmodi subjecta ad luminis radios admittendos, & motus cum, & per aerem communicandos excipiendos summe sensibilia sunt, inde varios oculorum dolores, aurumque tinnitus experuntur; adeoque ab ejusmodi alterationibus, in pertinaciore tali affectu, ne major diffusio intra tale organon proritetur, quovis modo sunt arcenda. Et si natura *copiosiorem* sanguinis portionem ad perficiendam talem evacuationem intracaput advehere necesse habeat, hanc non ex aere captat, sed per *constrictionem* tam *vicinarum* (& quidem in illis, qui mitius illam experiuntur) quam *remotiorum* & longius distantium partium *scapulae* nimirum &

& pedum ad illa loca ducit ; unde tam harum partium præ reliquis *constrictior* status , quam qualiscunque *horror* persentiscitur ; cum ex impedito motu *transpresor* sanguinis per harum partium porosiorem structuram ipse calor etiam sufflaminari solet. Si vero *viæ* ad absolvendam talem expressionem plus minus , vel ex ipsius *individualis* constitutionis ratione , vel ex occisionali causa *constrictæ* nimis sint , præcipue circa locum *exitus* , eo major & sensibilior inde provenit interiorum narium *titillationis* sensus , cui ipsum subjectum externo administriculo non ita *voluntarie* suscepto , nimirum repetita *frictione* succurrit , aut *sternutatione* seruet ipsam juvet natura , donec profluviū tale subsequatur.

Quod si hi ipsi *motus* ad hæmorrhagiam talem connitentes , quovis modo *promoveantur* , & naturæ intentioni in tali operatione absolvenda *gratificetur* , eo *meliori* exitu omnia talia concurrentia accidentia finiuntur & mitescunt ; è contra si naturæ in tali intentione *resistitur* , eo *pertinacius* tales *motus* congestorios *variantibus* annis sub vario schemate in *alias* regiones devolvit ; hinc etiam quo magis *activiora* sunt subiecta , eo etiam *acutioribus* affectibus subjici solent , quos in historia hujus affectus tradita , latius deduximus ; nec est quod pesimarum talium consequentiarum pathologiæ immoremur , cum ex haec tenus suppeditatis , quilibet accuratoris judicij , saniores connexionem formare poterit . Ubi etiam merito adhuc ultro *motuum invitationes* & *consensus* in corpore humano recommendamus perlustrandos .

Quod vero fundamentum talismodi expressionis hæmorrhagicæ præbet , illud veteribus æque atque recentioribus hactenus plane incognita & inaudita res fuit ; hinc

hinc etiam de tali negotio, nihil solidi aut firmi asseruere, sed studis opinioribus & speculationibus fuerunt occupati, & ex meritis potentissimis & possibilatibus, speciosas magis probabilitates, quam positivas produxere conclusiones. Ipsi veteres minime potuerunt talem evacuationem specialem plane connectere, cum nudo cordis pulsorio motu; quod vero recentiores theoreticos attinet, hi ipsi quidem bona intentione veterum speculationes quacunque ~~angusta~~ allaborarunt meliorandi & reformandi, sed revera nodum in scirpo quæsiverunt, & *craffa philosophandi subtilitate* totum negotium magis implicarunt, quam extricarunt, dum hunc sangvinis fluxum ut *nude passivum*, per *stimulationes* & *vellicationes* ita productum considerarunt & cohibuerunt, sed cum quo successu, dijudicet æquus & attentus observator. Quod vero totum hoc negotium & planius & firmius reddit, illud revera accuratisimo illi invento *Motus tonici* merito erit accentendum, (cujus ipsius, neque veteres neque recentiores verum unquam habuerunt respectum) qua ipsa *tonica constrictione* partium musculo-porosarum in subsecuturam eruptionem sangvis in illis contentus intra caput ad nares *directe* comprimitur, congeriturque.

Fit vero ipsum tale molimen hæmorrhagicum per *etatem varians* & ex *reminiscientia* naturæ reiteratum, impeditius & difficilius ad exitū perveniens, quando sub illo tempore natura *depletiones* tales sangvinis vel per *lochia*, vel per *copiosiorem Mensium fluxū* suscepit, vel evakuacione magis artificiali *placata* fuit atq; temperata, hisce nunc iterum *emanentibus*, pristini sui consilii *reminiscendo*, motus versus superiora loca instituendo adornandoque vias nimis *constrictas* & ad verum exitum inidoneas reperit,

quid

quod quid ipsa energia emotionis *remote magis & indirecte*, quam *directe & proximus* ad exitum tendendo conspicitur; unde non mirum est tali consideratione, talibus etiam circumstantiis *molimina* magis, quam veros *motus* expressorios à natura institui, propter *desuetudinem* illorum, qui à natura in junioribus annis *solennius* majori promptitudine & habilitate fuerunt executi.

Quod vero ipsius naturæ *consuetudinem* in motibus ejusmodi suscipiendis attinet, tunc revera ad ipsius consuetudinis animæ in *moralibus* actionibus conditiones merito respicimus. Quam prona enim sit ipsa anima rationalis in assuecendis actionibus *moralibus*, & ex varia per multiplicia exercitia adepta *babilitate & promptitudine* reiterandis, illud quilibet de se ipso deprehendere & animadvertere potest; quas ipsas consuetas actiones ipsa anima citra respectum ad *ordinem, tempus, modum & occasionem* instituit: quidni etiam in actionibus *ignobilioribus, vitalibus* nimirum per frequentiorem illarum repetitionem, & ex hac, in illam redundante agendi *promptitudine & alacritate*, frequentius præterea talibus motibus citra quoddam impedimentum susceptis, suscitandis, & citra respectum ad *ordinem, tempus, modum & occasionem* repetendis, in *consuetudinem* abire possit; quod vero *possit*, hoc videmus à posteriori, quod etiam soleat.

Minime omnium vero hanc hæmorrhagiam, ab illa hactenus famose deprædicata *acrimonia* dependere, asserimus aut concedimus, cuius ipsius rei in generali hæmorrhagiarum pertractione mentionem feci. Hoc interim moneo quod talibus hactenus veris allegatis circumstantiis minime credi possit, tale profluvium

pure *passive* fieri, sed insignem hanc esse difficultatem, quod acrimonia talis in *puerili* ætate, semper in *nares*, in *juniore*, semper in *pectus*, in *adultiore*, in loca *hæmorrhoidalia*, & non *inordinate* potius ad alia quælibet loca, imo *sensibiliores* potius partes agat; quod illa levioribus animi *pathematisbus*, aut certis *periodis* denuo efficaciam suam exserat; quod illa *directum* semper, *utilem* & *necessarium* finem involvat, testimonio succendentis plenariæ mitigationis totius affectus; & quod deniq; in aliis subjectis, nulla alia, quam acriori & salita diæta utentibus, adeoque per consequens talem acrimoniæ *copiosius* generantibus, talis *hæmorrhagia* non succedat, quæ tamen propter præsentiam materiæ necessario succedere debebat. Et quid nam ab experientia est alienius quam *hæmorrhagiam* talem ab acrimonia aut aciditate arcessere, cum videamus vehementissima acida *hæmorrhagias* potius fistere & cohibere, quam promovere & fuscitare. Multo minus *molimina* talia ad *hæmorrhagias* tendentia ab *obstructionibus* dependere credimus aut consentimus quæ potius *retentioni* humorū, & *occlusioni* viarum debentur, præcipitemq; sanguinis *corruptionem* pro comite habent; quod certe deploranda res esset, si in omnibus moliminiis *hæmorrhagicis*, obstructio valeret: contrarium vero demonstrat harum circumstantiarum *melior* exitus, qui ab obstructionibus minime sperandus est. Si quidem etiam nullis rationibus in tali casu stabiliri ha&etenus potuit neque adhuc potest, supposita illa obstructio ex universali illo sensu in capite perceptibili proveniens. Si enim in *arteriis* esset obstructio, quomodo sanguis possit *refluere* in venas? quæ eo tempore ita *turgidae* apparent? si in *venis*, & quidem angustioribus extre-

extremitatibus, quomodo fieret illa distensio *capaciorum truncorum?* & si in *capacioribus*, debuisset prius in *minoribus* invalescere, & totus refluxus sanguinis penitus esset sufflaminatus. Firma itaque manet nostra hypothesis, nec est, quod ab ejusmodi opinionibus infringi queat.

Lubet nunc curiosam, sed quam maxime etiam utilem disquisitionem ad *remotius* stabiliendam nostram assertionem, proponere: quod nimirum brutis plane non spontaneæ ejusmodi eveniant hæmorrhagiæ. Ante omnia vero omnino nostra est sententia, etiam brutis inesse tale agens *intelligens rationale*, quod actiones tam *animales*, quam *vitales* in illis exequitur, & quod, si vel spiritum rationalem, vel animam rationalem vocaveris, modo non sit machina *rationalis*, aut activissima talis spirituosa materia, perinde mihi erit. Est vero fundamentum hujus disquisitionis in eo positum, quod cum anima seu natura humana *erroneo* modo & motu varia appetendi & ingurgitandi, suo corpori *plethora* conciliet; quo ipso dein necesse habeat corpus suum conveniente methodo à tali sanguinis *abundantia* liberare, id quod non commodius, quam *haemorrhagicis* moderatis evacuationibus exequi potest, & solet; cum vero talis *inordinatus* appetitus & *nimia* oppletio *paucissimis* brutis solennis sit atq; familiaris, ut adeoq; inde neq; corp⁹ bru^{ti} *pletoricum* evadat, hinc etiam per consequens tali *non indigeat* evacuatione; ita etiam hoc respectu bruta non experiuntur hæmorrhagias. Attamen licet sint quædam bruta, quæ plus, quam par est, assumant, minime tamen illud alimentosum in *sanguinis quantitatem*, sed in *pinguedinis* auctiorem depositionem cedit. Conspic-

cua tamen adhuc aliqua qualiscunque *plethora* in *equis*, cōspiciuntur indicia, quibus si perpetuo plena prospicitur vanno, plenoq; utuntur victu, minus vero frequenter, laboribus subeundis protrahuntur, tunc turgidos & rubore suffusos præ se ferunt oculos, ex quibus denique acriores humores transudare solent, adeo ut facile exinde ipsius visus jacturam perpetiantur: ita etiam aliis affectibus pulmones occupantibus quos **Haarschlichtig** oder **Lungenfichtig** vocant, affici solent: interim artificiali, etiam minima, evacuatione sanguinis hisce succurritur, ne in majorem sui corporis incident labem: quod vero talia bruta, nimirum equi, sibimetipsis *spon-tanea* tali evacuatione non consulant, *differentis acritatis*, *promptitudinis*, *resolutionis*, & *inventionis* illorum animæ ratio est: cum sciamus, quod ipsa talis comparatio & conclusio in actu *extraordinario*: si quid *extraordinarie* abundat, ipsi toti Massæ τὸ abundans *extraordinaria* methodo subtrahendum est, *rationali subsumptioni* & quidem intimiori innitatur, in quibus *subsumptionibus* formandis ipsa anima brutorum ab anima humana propter defectum tam *instructionis*, quam *exercitii*, distincta est.

Ultimo denique pro colophone hujus ætiologicæ tractationis addere libet consideratu quam maxime dignam illam plebis observationem, dum subjecta *nimiis* hæmorrhagiis ita assuetata in *ptysisin* quam proxime inclinare autument: *Er blute so sehr und vtel/ er ist ein Schwindsichtiger Mensch:* quod ipsum etiam non sine fundamento faciunt. Duplex hic respectus vel ex parte *Medici*, velex parte peculiaris *partis* habendus erit. Si *Medicus* hæmorrhagias tales alias erumpere *solitas* pro nudo

nudo *symptomatico & morboſo* profluvio habet, hasce etiam ex tali consideratione quavis arte & methodo *supprimit & coercet*, minime respiciendo ipsam *intensam* naturæ intentionem, talem evacuationem perducendi, nulla alia legitima *artificiali* evacuatione ipsi naturæ succurrit, hæc interim ad *alia* loca cum suis *motibus* devolvens, propter inconvenientem aut impeditum exitum restagnantibus, imo subsistentibus, circa talia loca, humoribus, inflammationem, imo denique accidentaliter citra *ipsius* intentionem, sed ex *partis* conditione dependentem ulcerationem constituit, quo respectu *pbtisn* ex tali negotio prognosci posse & solere *ratio dictitat*, & *experientia* abunde confirmat. Ex *partis* vero conditione, omnino asserimus, quod tali *nimia* & frequentiore sanguinis evacuatione, illarum partium, quæ cum tali sanguine in legitima & ordinata *distensione & apertura* servantur, pori *conniveant*, & *collabantur*, ita quidem ut imposterum status ille conniventæ & occlusionis servatus *becticam* dispositionem, & reliqui corporis *consumptionem* post se trahat, atque inferat, reliquis etiam legitimis *secretionibus & excretionibus* obicem ponat; cui maxime fato præ aliis nobile illud viscus, nimirum *bepar*, prompte subjectum esse, experientia confirmat.

Sufficient itaque hæc in pathologica explicatione pertractasse; cui brevibus adhuc quoad fundamentalia convenientem & correspondentem Therapiam subnere lubet.

CAPUT IV.

THERAPIA HÆMORRHA-
GIARUM NARIUM.

Cum insuperioribus affectum hunc non *nude & ab-solute præternaturalem* esse asseruerimus & stabili-verimus, usum etiam insignem practicum ex tali consideratione resultantem inculcare omnino necesse erit : Diximus quod hæmorrhagia narium sit actus quidem *destinatus* ad sanguinis proportionem in *quantitate* peccantem moderandam & medicandam, quo ipso, *directus* talis actus, non *simpliciter cohíbendus* aut *reprimendus*, sed *ipſi naturæ in tali intentione & operatione* quo-vis modo, si *moderate* hunc actum absolvere solet, *succuren-dum* erit, quod maxime fit per evitationem tam externorum quam internorum impedimentorum, quæ fluxum hunc quadantenus cohíbere possunt & solent. Hinc talis narium hæmorrhagia si *moderate, proportionate*, cum *levamine* individui procedit, nullam meretur stricte sic dictam *cu-ram*, dum ipsamet *remedium* tale constituat, quo varia ex abundantia sanguine dependentia pericula & mala aver-tuntur & *præcaventur*.

Aliam quidem meretur considerationem illa nari-um hæmorrhagia, quæ *copiosius, frequentius, cum molestia* individui, ob *leves causas* minus evitandas recurrens, tam *juniori quam adultiori ætati* solennis esse solet, & *consuetudinis* magis rationem agnoscit; quippe quæ ipsamet et-iam circumspectam & peritam postulat curam. Reve-ra pessime ille agit, qui talem evacuationem pro *passiva* *habet*

habet, adeoque citra ullum respectum eandem *nude* cohibet & refrœnat, cum ad ipsam *intentionem* revera pertinacem & consuetam ipsius agentis quam maxime respicere debeat, ubi naturæ, nude cohibendo talem evacuationem, directè in sua operrtione resistit, quæ deinde alia, inconvenientia media cum periculo & nonnunquam ipsius vitæ jactura ad perducendam suam intentionem, suscipit: hinc si Medicus consultum esse dijudicaverit, huic, vel impeditius etiam succedenti hæmorrhagiæ narium medendi omnino alia *artificiali* evacuatione ipsi naturæ satisfacere debet, quæ commode & prudenter instituitur per *V. Section. præservativam* magis, quam curativam, quæ ultima quidem etiam in fluxu tali sangvinis per aliquot dies continuante in usum trahi potest.

Omnium optime vero conducit talibus circumstan-
tiis *motus* ipsius respectum habere, qui quo *intensior* &
vehementior, eo magis *temperatione* & *moderatione* opus
habet, quæ optime fit præ reliquis laudabili *Nitro*, addito
quodam *Sale digestivo*: conducunt præterea *floridioris*
constitutionis subjectis ad *contemporandam* nimiæ sangvi-
nis fluxilitatem *acida*, *moderato* & *conveniente* usu. *Adstrin-
gentia* sola non omni circumstantia & cōditione in insigni
sanguinis evacuatione per nares ex usu sunt, cum perti-
naciōri naturæ intentioni occlusione exitus resistant, &
ad alia molimina *Cephalalgica*, *Hæmicranica*, *anginodes* imo
motus febriles &c: eandem invitant, testante ipsa expe-
rientia. Ubi locus *anodynus* esse apparet in tali casu, præ
Opio laudamus & commendamus *Cinnabarin* & *MP. de
Cynoglossa*, quæ meliorem & tutiorem effectum quam
ipsum Opium edunt. Neque sine usu etiam est ad *equa-
lem*

lem sanguinis distributionem procreandam & partialem
talem congestionem moderandam bona Essentia Bezoar-
dica. Recommendatur à quibusdam in nimio proflu-
vio specificie quasi agendo Bufo exsiccatus, cuius efficacia
in sensibilioribus fatis hactenus comprobata est. In casu
*ancipi*ti per nycthemerum & ultro continuantis ejus-
modi hæmorrhagiæ, potest, uti dictum, ipsa VSIO cura-
tive scopo *revulsorio* institui, & præmissis, aut subjun-
ctis temperantibus, cum leniore sed certiore & tutiore
illo Croco Martis antimoniato, de quo *Observ. Chym. Phys. Med. curios. Mensis Januarii Excell. D. D. Stablii agit*, expe-
*rimentum securæ adstrictionis suscipi, citra metum
aliorum succendentium incommodorum; quod à famosis
adstringentibus omnino expectandum. Caveant vero
sibi quam maxime talia subjecta ab omni insigniori ex-
æstuatione & commotione, & omnibus ejusmodi me-
diis, quæ illam producere possunt, ne semel mitigata,
talis hæmorrhagia denuo eadem recurrat vehemen-
tia..*

Hæc si Medicus *methodice* sciat adhibere, bonum
non tantum, sed & certum obtinebit effectum & even-
tum. Quo ipso etiam hujus affectus pertracta-
tionem fausto exitu absolutam
sistimus.

S. D. G.

